



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**De Jure Rerum Ecclesiasticarum Ad Germaniae Catholicae  
Principia Et Usum Pars ...**

Complectens Sectionem I. & II.

**Zech, Franz Xaver**

**Ingolstadii, 1758**

Titulo XX. De Officio Divino.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68048](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68048)

## TITULUS XX.

DE OFFICIO DIVINO.

Conf. Lib. 3. Decretal. tit. 41. In  
Clement. tit. 14.

§. 442.

Officium  
Divinum

**P**ER Officium Divinum hoc loco intel-  
ligitur certa ratio publice lau-  
dandi Deum mente simul & voce,  
autoritate Pontificum Ecclesiæ insti-  
tuta. Cum autem partes principa-  
liores hujus Divini Officii per certas  
diei horas distributæ, & secundum  
certam regulam dicendæ sint, totum  
hoc Officium vocamus Horas Cano-  
nicas.

ex more  
antiquo

§. 443. Morem certis horis no-  
cturnis ac diurnis laudandi Deum  
in hymnis & canticis, populo Israë-  
litico usitatum, strenue profecuti  
sunt Apostoli, qui hora *Tertia* oran-  
tes acceperunt Spiritum Sanctum  
64.) : hora *sexta* PETRUS in supe-  
riore ædium parte orationi vacabat  
65.) : ad horam orationis *Nonam*  
PE-

64.) Act. II. 15.  
65.) Ibid. X. 9.



*De Officio Divino.* 617

PETRUS & JOANNES ascendebant in templum 66. ) : *Nocturnas* preces Deo persolverunt PAULUS & SILAS in carcere 67. ). Quanto studio primorum sæculorum Fideles æmulati sint devotionem Apostolorum, pleni sunt Annales Ecclesiastici, & Vitæ Patrum 68. ).

§. 443. Cum autem David 69. ) *SeptemHoras* in die laudem se dixisse profiteretur, hoc exemplo instructi multi Viri pii, demum tota Ecclesia *Nocturnum, Diurnumque Officium* 70. ) in septem distinctas horas distribuit. *Nocturnum* Officium complectitur *Matutinum* cum *Laudibus*; *Diurnum* habet *Horam Primam, Tertiam, Sextam, Nonam, Vesperas,* & denique *Completorium*, antequam ad somnum nos conferamus 71. ). Non eo sensu hoc

Q 9 5 in-

66. ) Ib. III. 1.

67. ) Act. XVI. 25.

68. ) Exempla singulorum sæculorum recenset Cardinalis BONA de Divin. Psalm. mod. c. 1.

69. ) Psalm. CXVIII. 164.

70. ) Sic vocatur c. 9. de celebrat. Miss. & Clement. 1. eod.

71. ) Nec in plures, quam in septem, nec in pauciores horas consuetum Ecclesiæ Offi-



intelligimus, acsi David, aut alii Viri sancti pietati suæ oratione septies repetita satisfecerint, cum alibi devotissimus Rex dicat, *Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus ejus in ore meo 72.*) : & ipse Divinus Servator noster instruat Apostolos suos, *quoniam oportet semper orare, & non deficere 73.* ). Per septenas enim horas continuum orandi studium intelligitur,

---

Officium debere dividi, ostendit SVA-  
 REZ tom. 2. de Relig. lib. 4. c. 6. Viden-  
 tur quidem in c. 1. de Celebrat. Miss. sep-  
 tem dictis horis superaddi *Nocturnæ Vi-  
 gilia* : sed tamen doctrina hujus Capitu-  
 li non est desumpta ex disciplina Ecclesiæ  
 Romanæ, aut universalis. Nam unde unde  
 demum exscripta sit pars prior hujus Ca-  
 pituli, cum in nullo Concilio, nec AGA-  
 THENSI, cujus nomen præfigitur in De-  
 cretalibus, nec NANNETENSI, prout  
 scribitur c. 2. dist. 91. reperiatur; certe  
 altera pars, incipiendo a verbis *septies in  
 die &c.* desumpta est ex Regula S. BENE-  
 DICTI cap. 16. ubi ex præcedentibus ca-  
 pitibus facile apparet, a S. hoc Patriar-  
 cha septem Horas Diurnas distingui a Vi-  
 giliis Nocturnis : sed extra hanc discipli-  
 nam Monasticam, Nocturnum ac Diur-  
 num Officium, non nisi septem horas  
 complectitur.

72.) Psalm. XXXIII. 2.  
 73.) Luc. XVIII. 1.



gitur, quia juxta S. AUGUSTINUM  
74.) *septies in die significat semper*: nam  
numerus *septimus* universitatem desi-  
gnat, & singularem perfectionem  
continet 75.) Aptissime etiam nu-  
merus septenarius Horarum Canoni-  
carum respondet variis mysteriis Pas-  
sionis Dominicæ 76.)

§. 444. Cum autem Viri sanctissimi-  
mi bene agnoverint, singulos non  
posse tota die insistere cantandis Dei  
laudibus; hinc congregarunt ma-  
gnum numerum Servorum Dei in una  
Ecclesia, qui in plures turmas distri-  
buti sibi invicem succedebant, ut diu  
noctuque laudes Divinæ in eadem  
Ecclesia nunquam interrumperentur.  
Tale erat institutum *Acœmetarum* 77.)

Mo-

- 
- 74.) Homil. 31. in Psal. 118.  
75.) De Perfectione & mysteriis numeri  
septimi multa tradit PHILO Judæus in  
lib. de Mundi Opificio.  
76.) Vid. THOMAS LE BLANC in Psal.  
118. v. 164. art. 1. n. 538. Card. BONA  
de Div. Psalmod. c. 2. §. 2. seqq.  
77.) Horum autor dicitur fuisse S. ALE-  
XANDER, qui sæculo V. floruit. Vid.  
Acta Sanctor. ad diem 15. Januar. in vi-  
ta Alexandri. HELYOT. Histoire des  
Ordres Monastiques part. 1. c. 29. Vid.  
Hierarch. Eccles. §. 413. not. 82.



Monachorum Agaunensium 78. ), Centulensium, Cabilonensium, Dionysianorum prope Parisios, Luxoviensium, Habendensium, Laudunensium &c. &c. 79. ).

*Hora Canonica*

§. 445. Singulæ ex istis Horis constant ex variis partibus rite ordinatis; in Breviario Romano hæc specialiter numerantur: Psalmi, Cantica, Hymni, Lectiones, Responsorialia, Versiculi, Benedictiones, Absolutiones, Capitula, Invitatorium, Antiphonæ, Collectæ seu Orationes Ecclesiasticæ, Oratio Dominica, Salutatio Angelica, Symbolum Fidei, Confessio, Antiphonæ peculiare de B. Virgine cum adjuncta oratione ad Deum. 80. ).

§. 446.

- 
- 78.) Fundante S. SIGISMUNDO Burgundionum Rege, de quo PAGIUS in Critic. ad Annal. Baronii ann. 522. §. 10. feqq.  
 79.) De his Card. BONA & PAGIUS l. cc.  
 80.) De his omnibus vid. SUAREZ tom. 2. de Relig. lib. 4. c. 2. AMALARIUS FORTUNATUS de Eccles. Officiis. RUPERTUS TUITIENSIS de Divin. Offic. HONORIUS in Gemma animæ. DURANDI Rationale Divin. Officior. ORDO ROMANUS de Officiis Divinis. MICROLOGUS de Ecclesiasticis observationibus, aliique sacrorum rituum explanatores.



§. 446. Officium hoc Divinum vel *vel reci-*  
recitatur publice a tota aliqua com-*tantur,*  
munitate; vel *privatim* & a singulis.  
Communis oratio est, quæ per Mini-  
stros Ecclesiæ in persona totius fide-  
lis populi Deo offertur 81. ), & qui-  
dem publice ad excitandum aliorum  
affectum erga Deum 82. ): unde in-  
troducitur sæpe in quodam loco, Ec-  
clesia seu congregatione præcipue ad  
usum populi, ut habeat Divina Offi-  
cia publica, quibus interesse possit,  
& Deum precari, vel laudare per  
communes Ministros ejus, suo mo-  
do cooperando seu assentiendo; qui  
finis maxime intenditur in Ecclesiis  
Clericorum aut Canonicorum sæcu-  
larium. Aliquando vero in aliqua  
congregatione instituitur principa-  
liter propter usum talis congregatio-  
nis & personarum ejus, quæ ad cho-  
rum deputantur, ut in isto religio-  
so ac præstantissimo actu occupen-  
tur; quod præcipue convenit com-  
munitatibus Monachorum.

§. 447. Ad hos fines certius ob-*vel can-*  
tinendos, has laudes Divinas non *tantur*  
pla-

81.) S. THOM. 2. 2. q. 83. art. 12. c.

82.) Ibid. q. 91. art. 1. c.



plana solum voce, sed modulato  
 etiam cantu in Ecclesia semper pera-  
 ctas & peragendas esse, docet nos to-  
 ta antiquitas. Ut veteris testamen-  
 ti Viros nominatissimos DAVIDEM,  
 SALOMONEM, aliosque omittamus:  
*in hymnis & psalmis canendis, ipsius Do-  
 mini 83.) , & Apostolorum 84.) habe-  
 mus documenta & exempla, & praece-  
 pta 85.) . Nec apparet, quid in re-  
 ram utili ad movendum pie animum, &  
 accendendum divinae dilectionis affectum  
 86.) carpi merito possit. Narran-  
 te S. AUGUSTINO 87.) Hilarus  
 quidam Laicus, nescio unde adversus Dei  
 ministros, ut fieri assolet, irritatus, morem  
 qui tunc esse apud Carthaginem coeperat,  
 ut hymni ad altare dicerentur de psalmo-  
 rum libro, sive ante oblationem, sive cum  
 distribueretur populo quod fuisset oblatum,  
 maledica reprehensione ubicunque poterat,  
 lacera-*

- 
- 83.) Qualem hymnum cantaverit Christus  
 post coenam, inquit HONORATUS A S.  
 MARIA tom. 2. lib. 4. Dissert. 7.  
 84.) *In Psalmis & hymnis & canticis spiri-  
 tualibus. Ad Ephes. V. 19.*  
 85.) S. AUGUSTINUS Epist. 55. alias 119.  
 c. 18.  
 86.) Ibid.  
 87.) Lib. 2. Retract. c. 11.



lacerabat, asserens fieri non oportere 88. ). Certum quendam morem canendum cœptum reprehendebat Hilarus: at vero nonnulli Novatores ultimarum sæculorum cantum omnem Ecclesiasticum reprehendunt 89. ), quos Catholici Doctores egregiis tractatibus refellunt 90. ), ostenduntque sanctissimum esse morem, ut hœre Canonice cum cantu & psalmodia in Ecclesia dicantur, utpote qui habet exemplum & fundamentum in S. Scriptura; confirmatur consuetudine ab initio Ecclesiæ Orientalis & Occidentalis deducta; ac utilissimus est

---

88. ) Contra hunc S. AUGUSTINUS scripsit librum, qui non extat.

89. ) Aliter sentiunt Protestantes Germaniæ, qui cantum psalmodiarum & hymnorum vehementer amant: imo ex illis vir doctus CHRISTIANUS WOLFIUS Jur. Natur. p. I. §. 1247. & Instit. Jur. Natur. §. 176. ponit hanc conclusionem: *ad hymnos componendos & canendos ipsa lege naturali obligamur.*

90. ) BELLARMINUS tom. 4. Controv. lib. I. de Bonis Operib. c. 16. BARONIUS Annal. ad ann. 60. n. 24. seqq. ALPHONSUS A CASTRO lib. 4. advers. hæres. V. Cantus.



est tum orantibus, tum audientibus  
91.) : unde etiam Concilii Triden-  
tini Patres voluerunt, ut qui in Se-  
minariis aluntur, disciplinam cantus  
discant 92.).

*per Ecclesie* §. 448. Munus canendi publice  
*Ministros,* Horas Canonicas per se loquendo  
pertinet ad Ecclesiasticas personas,  
seu peculiare Ecclesie Ministros :  
non tamen ita proprium est Clerico-  
rum, ut non possint aliqui non or-  
dinati ad hoc ministerium deputari,  
quales fuerunt Psalmistæ 93.). Un-  
de etiam nunc non solum per Cleri-  
cos, sed etiam Laicos, & per Reli-  
giosos, etiam si Clericalibus Ordini-  
bus initiati non sint, imo etiam per  
fæminas, ut in Monasteriis Monia-  
lium fieri videmus, Horæ Canonicae  
publice recitantur, seu canuntur,  
etiam nomine totius Ecclesie. Non  
tamen omnes Clerici aut Religiosi  
occupandi sunt in hoc ministerio can-  
tandi in Choro; sed illi tantum, qui  
in gravioribus Ecclesie ministeriis  
seu

---

91.) Latius hæc diducit SUAREZ tom. 2.  
de Relig. tr. 4. l. 4. c. 7. n. 9. seqq.  
92.) Sess. 23. C. 18. de Reform.  
93.) C. 20. dist. 23.



seu Officiis occupati non sunt 94.) Ad hanc rem notatu digna est Constitutio S. GREGORII M. 95.) , ut in Romana Ecclesia *sacri Altaris Ministrī* (Diaconi, quos ad prædicationis officium & eleemosynarum studium vacare congruit) *cantare non debeant, solumque Evangelicæ Læctionis officium inter Missarum solemnias exolvant: psalmos vero ac reliquas læctiones censet per Subdiaconos, vel si necessitas fuerit, per minores ordines exhiberi 96.)*. In hunc sensum loquitur etiam S. THOMAS 97.) : *nobilior modus est provocandi homines ad devotionem per doctrinam & prædicationem, quam per cantum: & ideo Diaconi & Prælati, quibus competit per præ-*

R r dica-

- 94.) DOMINICUS SOTUS de Justit. lib. 10. q. 5. art. 3. contra autoritatem Romanorum Pontificum varios Ordines Religiosos approbantium scripsit, si Ordo Regularis absque obligatione Chori admittatur, *vix nomen religionis mereri*. Vid. SUAREZ tom. 4. tr. 10. de Relig. lib. 1. c. 8. excusat Sotum HYACINT. DONATUS prax. Regular. tom. 4. tract. 18. q. 28.
- 95.) Lib. 4. Regist. Epist. 44. relata in C. 2. dist. 92.
- 96.) Mentem S. GREGORII prudenter, ut solet, explanat SUAREZ cit. tom. 2. l. 4. c. 9.
- 97.) 2. 2. q. 91. art. 2. ad 3.



dicationem & doctrinam animos hominum  
 provocare in Deum, non debent cantibus  
 insistere, ne per hoc a majoribus retraban-  
 tur. Si hodiernum morem confide-  
 remus, Ministri & Clerici ad munus di-  
 cendi horas Canonicas ex praecepto  
 deputati, sunt qui habent Beneficium,  
 quod propter tale servitium Ecclesiae,  
 specialiter conceditur, ut sunt Ca-  
 nonici, & praebendarii 98.) : vel  
 quod annexam habet obligationem  
 hanc, quales sunt Parochi. Et qui-  
 dem in Cathedralibus ac Collegiatis  
 Ecclesiis fieri debet Officium hoc sin-  
 gulis diebus; quod idem dicendum  
 de Ecclesiis Regularium, juxta unius-  
 cujusque institutum & consuetudi-  
 nem: in Ecclesiis autem Parochiali-  
 bus, si rigorem Juris attendamus, di-  
 cenda essent omnes Horae Canonicae  
 aliquo modo publico, saltem Domi-  
 ni-

98.) Hi non satisfaciunt suae obligationi,  
 si suam Officii partem ita submissa voce  
 recitent, ut ab altero choro non audian-  
 tur. BENEDICTUS XIV. Bullar. tom. I.  
 n. 103. ex Concil. TRID. sess. 24. de Re-  
 form. c. 12. ubi Canonici jubentur com-  
 pelli ad Divina Officia per se obeunda, ut  
 que in choro ad psallendum insitudo, hinc  
 nis & canticis Dei nomen reverenter, distin-  
 ctè devoteque laudare.



nicis & festis diebus 99.) , præsertim si habeant redditus pinguiores, plura Beneficia suo servitio deputata, & populum copiosum ac nobilem; tunc enim major solet esse necessitas seu communis utilitas, ac decentia : consulenda tamen est consuetudo rationabilis. In aliis Ecclesiis & Capellis, standum est eorum statutis, & institutionibus, ac Fundatorum voluntate. Ubicunque autem obligatio publice peragendi Officium Divinum viget, fieri id debet in ipsa Ecclesia, utpote loco specialiter ad hoc deputato & aptissimo.

§. 449. Circa idioma, quo publice cantari vel recitari debet Officium Divinum, notanda est propositio QUESNELLI 100. ) : *Eripere pulis, simplici populo hoc solatium jungendi vocem suam voci totius Ecclesie, est usus contrarius praxi Apostolice, & intentioni Dei.* De Fidelibus primorum sæculorum nemo negat, quod essent soliti stato die ante lucem convenire, carmenque Christo, quasi Deo dicere

R r 2 cere

99.) Desumuntur hæc ex Clement. 1. de celebrat. Missar.

100.) Propositio 86. damnata in Bulla Unigenitus.



cere secum invicem 1.). Non tamen verisimile est, inconditam multitudinem voces incompuestas junxisse, unde nec decor, nec ordo, qui præcipitur, valeat expectari, cum omnia honeste, & secundum ordinem fieri præcipiat Apostolus 2.). Multo minus probabile est, mulieres cum viris in Ecclesia cecinisse, quas tacere jubet idem Apostolus 3.). Unde juxta Concilium LAODICENUM 4.) non oportet, præter Canonicos Cantores qui ambonam ascendunt, & ex Codice canunt, aliquos alios canere in Ecclesia. Scilicet peritioribus canentibus, respondebat plebeorum turba infima, vocibus quoque elatis Amen 5.): pro multitudine autem, vitandæ confusionis gratia, solus Minister supplet locum plebis 6.). Dein quis credat, Psalmos &

- 
- 1.) PLINIUS Secundus lib. 10. epist. 97. ad Trajanum.  
 2.) 1. Corinth. XIV. 40.  
 3.) Ibid. 34.  
 4.) Can. 15. Vid. BALSAMON, ZONARAS & BEVEREGIUS in eundem Canonem.  
 5.) JUSTIN. Apolog. 2. in fin. S. HIERONYM. Epist. 137. ex Epist. S. PAULI 1. Cor. XIV.  
 6.) Apostolus loc. cit. v. 16. hunc Ministerium intelligit per verba : qui supplet locum Idiotæ.



& alias orationes versas fuisse ab Apostolis in omnes linguas earum gentium, quibus Evangelium prædicarunt? Ecclesia Latina semper usa est lingua latina, Ecclesia Græca semper idiomate græco; quamvis populi diversissima habeant idiomata, apud quos Ecclesiæ tempore Apostolorum fundatæ sunt. Antiquissimus usus Ecclesiæ Latinæ est, cantare *Alleluja* & *Kyrie Eleison*, quæ tamen voces a populo non intelliguntur. Usa igitur semper Ecclesia est idiomate non vulgari singularum Provinciarum, sed communi multarum regionum, quale est Lingua Latina, Græca & Hebraica. Si quibusdam Provinciis aliud nonnunquam permissum fuit, ex singulari & gravi causa id factum est, qualis non ubique urget. Unde salvum manet, quod TRIDENTINA Synodus de idiomate vulgari in Divinis Officiis usurpato dicit, non expedire, ut *passim* concedatur 7.).

§. 450. Quidquid sit de more priorum Ecclesiæ sæculorum, sane *Non tamen vulgari* non omnia, quæ tempore Apostolorum & primis sæculis fuerunt ob- *cujusque Provincie:*

R r 3 ser-

7.) Sess. 22. de Sacrif. Missæ c. 8.



fervata, nunc quoque observari necesse est, cum disciplina Ecclesiastica pro variis temporum & locorum circumstantiis possit, ac nonnunquam debeat mutari. Nihilominus etiam hodie frequens est cantus totius populi in multis Ecclesiis: non opus autem est, ut totum Officium idiomate vernaculo cantetur, cui vocem suam adjungat populus, cum primis sæculis idem Horarum Canonicarum ordo non fuerit usitatus: consequenter non potest dici, quod recedatur a praxi Apostolorum, usurpando tale idioma, quod non intelligit populus: sufficit, si plebs sciat, cantari laudes Divinas. Cum Novatores aliqui in Gallia frustra optarent celebrationem Divinorum in lingua vernacula; procurarunt saltem, ut Missarum formula verteretur in linguam Gallicam, tempore sacrificii a populo legenda simul cum sacerdote celebrante. Sed Clerus Gallicanus in Comitibus generalibus Lutetiæ congregatus, ejusmodi translationes damnavit, & ad Summum Pontificem damnandas detulit 8.), eodem spi-

---

8.) Literas Cleri Gallicani ad Pontificem 7. Januar.



spiritu permoti, quo jam pridem S. GREGORIUS VII. Romanus Pontifex 9.) Uradislao Bohemorum Duci repulsam dedit, postulanti, ut Pontifex Bohemis concederet celebrationem Divini Officii in Lingua Sclavonica 10.)

§. 451. Sicuti in recitando Officio Divino tenemus Linguam Ecclesiae Romanae, scilicet Latinam, ita etiam observamus formam & ritum novi Breviarii Romani: a qua obli-

R r 4 ga-

Januar. 1661. datas refert Autor Constitutionis *Unigenitus* Theologice propugnatae tom. 3. ad propos. 79. c. 2. & ad propos. 86. c. 5.

9.) In Registro GREGORII VII. lib. 7. epist. II.

10.) De Divino Officio in lingua vulgari non recitando, praeter multos alios tractat NICOLAUS SANDERUS lib. 7. de visib. Eccles. Monarchia pag. 703. item in Oratione Lovanii habita *de Linguis Officiorum Ecclesiasticorum*. Prae aliis autem JACOBUS LEDESMA *De Divinis scripturis quavis passim lingua non legendis: simul & de Sacrificio Missae, ceterisque officiis in Ecclesia Christi, Hebraea tantum, Graeca aut Latina lingua celebrandis*. Qui liber primum editus anno 1574. jussu Cleri Gallicani cum insigni elogio novis typis Parisiis editus fuit anno 1661.



gatione PIUS V. II. ) illos solum ritus excipit, qui ex institutione a Sede Apostolica approbata, vel consuetudine ducentos annos superanterenti fuerint. Diversos ejusmodi ritus & varium Breviarii ordinem sequuntur multi Religiosi scilicet Benedictini, Cistercienses, Præmonstratenses, Prædicatores, Carthusiani, Carmelitæ: item Ecclesia Lugdunensis institutore S. IRENÆO; Mediolanensis confirmante S. AMBROSIO; quædam Ecclesiæ Hispaniæ retinentes ritum Mozarabicum 12.); Ecclesiæ Græ-

II.) In Confirmatione sui Breviarii Dat. Romæ 7. Id. Julii 1568.

12.) Hispania per Mauros & Arabes occupata, Christiani his barbaris permisti, *Misrarabes* appellati sunt, quæ vox demum degeneravit in nomen *Mozarabum*. Vid. ALVARUS GOMECIUS de Reb. gest. a Ximeno Archiep. Tolet. lib. 2. Modum & ordinem hujus Officii refert JOAN. VASÆUS Rer. Hispan. Chronic. ad ann. Chr. 717. Abrogatum illud voluit GREGORIUS VII. in Registr. lib. I. epist. 63. 64. Quomodo autem judicio Duelli & ignis tentum fuerit, narrat RODERICUS Archiep. Tolet. de Reb. Hispan. lib. 6. c. 26. Exactam historiam hujus ritus præfigunt BOLLANDISTÆ Tomo sexto Julii.



Græcorum 13.), Armenorum, Ma-  
nonitarum, Abassinorum seu Cophto-  
rum 14.).

§. 452. Breviarium Romanum, a variis in  
cujus ritum sequimur, fuit olim & presentem  
inscribatur *Psalterium ordine dispo-* *formam re-*  
*formam*: psalmi enim semper erant præ-  
cipua & essentialis Officii pars. Di-

ant communiter, originem a S.  
PETRO esse repetendam, Roma-  
nos vero Pontifices subinde, quæ e-  
re sibi visa essent, adjecisse. S. GRE-  
GORIUS M. Officium a GELASIO  
plus æquo productum, ad brevio-  
rem formam redegit: plura reseruit  
GREGORIUS VII. Verum sæculo

XIII. brevius contractum fuit 15.).  
Duplex videlicet olim in Urbe erat  
modus Divini Officii, alter brevior,  
quo Romana Curia, sive Capella Pon-  
tificia,

R r §

13.) De Acoluthia Officii Græci consulen-  
dus Tractatus præliminaris ad Tom. 2.  
Junii BOLLANDI STARUM, autore NICO-  
LAO RAYÆO.

14.) De his omnibus aliqua dicit Card. BO-  
NA de Div. Psalmod. cap. 18. EMANUEL  
DE AZEVEDO in Exercitationibus Litu-  
rgicis de Divino Officio Exercitat. 8. & 9.

15.) Qua ratione id contigerit, refert RA-  
DULPHUS *Tungrensis* De Canonum obser-  
vantia propof. 22.



tificia, ob plurimas Summi Pontificis, Cardinalium, aliorumque Prælatorum Pontifici assistentium occupationes utebatur; alter prolixior pro cæteris Ecclesiis Urbis, qui proprie *Ritus Romanus* dicebatur. Cum vero S. FRANCISCUS *Seraphicus* Sodalibus suis mandasset, ut Divinum Officium secundum ordinem sanctæ Romanæ Ecclesiæ peragerent 16.), susceperunt isti contractum *Breviarium*, quod in Pontificis Sacello servabatur. Cum autem istud non bene digestum comperisset HAYMO Ordinis Minorum Generalis Minister, in id incubuit, Officiumque Romanum dictum ad eum ferme statum, qui hodie viget, perduxit 17.) quam *Breviarii* formam

- 16.) S. FRANCISCUS in Regula prima c. 3. dicit: *Clerici faciant Officium & dicant pro vivis & pro mortuis secundum consuetudinem Clericorum.* In Regula secunda c. 3. dicitur: *Clerici faciant Divinum Officium secundum ordinem sanctæ Romanæ Ecclesiæ, excepto Psalterio, ex quo haberi poterunt Breviaria.* Quibus verbis datur facultas abbreviandi Psalterium.
- 17.) WADINGUS Annal. Minor. tom. 3. ann. 1244. Observationem hujus *Breviarii* a F. Aymone sanctæ recordationis præpositi



nam confirmavit GREGORIUS IX. 18.) : NICOLAUS III. vero mandavit, ut in posterum in singulis Romanae Urbis Ecclesiis adhiberetur 19.) Hoc ipsum Breviarium, brevius adhuc redditum fuit a FRANCISCO GUIGNONIO Cardinale S. Crucis, cui demandata fuit hæc Provincia a CLEMENTE VII. Postquam autem Concilium TRIDENTINUM 20.) curam Breviarii Romani reliquisset Pontifici Romano ; PIUS V. inchoatam reformationem perfecit, Breviarium a prædicto Cardinale editum, quo plurimi specie Officii commodioris allecti utebantur, abolevit, suoque nomine & autoritate Breviarium Romanum edidit, quod dein CLEMENS VIII. demum emendatis hym-

---

cessore suo correcti gravissimis literis injungit suis Fratribus JOANNES Parmensis Minister Generalis, apud eundem WADINGUM ad ann. 1249.

28.) Literæ Confirmationis referuntur in Regeſto GREGORII IX. N. 38. apud cit. WADINGUM tom. 3.

29.) *Unde hodie in Roma omnes libri sunt novi & Franciscani*, uti loquitur Radulphus loc. cit. qui obiit anno 1403. & innovationem istam minime probavit.

30.) In continuata sels. 25.



hymnis, & paucis aliis locis mutatis,  
 URBANUS VIII. recognovit, pro-  
 ut Literæ horum Pontificum hodie-  
 nis Breviariis præfixæ docent.

*Horis com-* §. 453. Cum Sacri Canones exi-  
*petentibus.* gant, ut Officium Divinum, quando  
 publice recitatur, *horis competentibus*  
 compleatur 21.) ; *Matutinum* quidem  
 proxime post mediam noctem incho-  
 andum esset: non tamen scrupulose  
 accipitur media nox, sed prout signi-  
 ficat partem illam noctis, quæ post  
 dimidiam noctis inchoatur, & suffi-  
 cit ad absolvendum illud Officium  
 usque ad auroram: in multis tamen  
 Ecclesiis ex antiqua consuetudine *Ma-*  
*tutinum* differtur usque ad auroram,  
 statimque illi annectuntur *Laudes*. Re-  
 liquæ Horæ juxta nomina sua habent  
 tempus determinatum, numerando  
 horas diei duodecim ab ortu solis us-  
 que ad occasum, ita ut hora sexta de-  
 signet meridiem. Similiter *Vesperæ*  
 ante occasum, *Completorium* post  
 occasum solis dici deberent. Om-  
 nes tamen istæ horæ & tempora pa-  
 tiuntur suam latitudinem juxta re-  
 ceptam cujusvis Ecclesiæ consuetudi-  
 nem.

§. 454.

---

 21.) Clem. I. de Celebr. Miss.



De Officio Divino. 637

§. 454. Quæ hucusque dicta sunt *Privatim* de publica recitatione Divini Officii, *recitandum* applicari pleraque possunt ad ejus- *Officium a* dem recitationem privatam. Hoc *quibus?* onus ab Ecclesia annexum est cui- libet Beneficio Ecclesiastico, quod per proprium titulum spirituales confertur, non obstante quacunque alia obligatione ad aliud Officium, ex vi talis Beneficii imposita. Itaque licet Episcopus, Parochus &c. teneantur ad spirituale regimen animarum, aliaque officia; nihilominus tenentur etiam ad recitandas Horas Canonicas. Expressos Canones antiquos vix reperiemus de hac obligatione: nihilominus sufficit communis consensus & traditio Ecclesie, quam declaravit Concilium Lateranense V. 22.), quod privat fructibus bene-

22.) Sess. 9. in Bulla Reformationis. Hanc Constitutionem confirmavit & declaravit PIUS V. Const. 135. in Bullar. Roman. Varia dubia de hac obligatione vid. apud SUAREZ. tom. 4. de Relig. tr. 10. lib. 1. c. 18. & seqq. & apud Theologos morales, inter quorum disputationes nihil magis consulendum est, quam ut inhæreamus verbis PII V. *Statuimus ut qui horas omnes Canonicas, quo vel pluribus diebus in-* *termi-*



Beneficiorum eos, qui Divinum Officium non dicunt. Justum omnino est, ut Clerici saltem id dent Ecclesie, ut pro populo, præsertim pro iis, qui per negotiorum multitudinem, nec sæpe nec diu precibus immorari queunt, Deum orent, imprimis pro iis, qui suas substantias Ecclesie ea conditione profuderunt, ut devotas pro se preces Clerici fundant. Unde extra Chorum ad quotidianam privatam recitationem Horarum Canoniarum tenentur ex præcepto Ecclesiastico omnes sacris Ordinibus initiati, etiam si Beneficium non habeant, neque ex officio, neque ex peculiari obligatione Choro assistere teneantur. Difficile est assignare expressum Canonem, qui obligationem istam imponat, quæ proin potius ex consuetudine ortum trahere videtur 23.) Clerici in minoribus Ordinibus con-

---

*termiserint, omnes beneficii, seu beneficiorum suorum fructus, qui illi, vel illis diebus responderent, si quotidie dividerentur, pro vero Matutinum tantum, dimidiam; pro ceteras omnes horas, aliam dimidiam; pro harum singulas, sextam partem fructuum ejus diei amittant &c.*

23.) SUAREZ loc. cit. c. 16.



stituti, ex sola ratione horum Ordinum non tenentur ad Horas Canonicas dicendas, neque Regulares vel solius Professionis: unde aliqua Religiones, quæ vel sunt ad corporalia opera misericordiæ deputatæ, ut sunt aliqui Hospitalarii, vel Religiones militares quoad ipsos milites, non inducunt hanc obligationem: Religiones etiam Clericorum ad alias spirituales actiones & studia, vel contemplationem extra Chorum ordinatæ, peculiare hoc onus non assumunt, donec Religiosi sacris Ordinibus initiuntur. In illis Religionibus, quæ ex vi sui status Chorum profitentur, & ad illum in communi obligantur, Novitii quidem sub tali lege non comprehenduntur, cum non sint Religiosi; alii tamen Professi, etiam non ordinati in sacris, exceptis tamen conversis, juxta communem persuasionem tenentur privatim quotidie Horas Canonicas dicere, si in Choro non recitaverint. Obligatio hæc videtur solummodo fundari in consuetudine præscripta.

§. 455. Qui privatim recitant, tenentur haud dubie præcepto illo in tu? virtute obedientiæ, ut Divinum Officium nocturnum pariter & diurnum, quantum  
eis



eis dederit Deus, studiose celebrent pariter & devote 24.) possunt tamen propter aliquam fatigationem, vel aliam causam dicere sedendo, vel deambulando: & quidem juxta ritum & formam a PIO V. reformatam, exceptis illis, quibus antiquioris Breviarii usus fuit permissus. Dicuntur autem privatim etiam ea, quæ videntur solum convenire pluribus psallentibus. *G. Jube Domne benedicere, Dominus vobiscum & cum Spiritu tuo &c. 25.)* Possunt etiam privatim recitantes imitari modum recitandi in Choro ubi statum, scilicet alternando versus cum socio. Quoad tempus, non videtur gravis obligatio recitandi singulariter. Ho-

- 
- 24.) C. Dolentes. 9. de Celebr. Miss.  
 25.) Vid. tractatus PETRI DAMIANI, qui inscribitur *Dominus Vobiscum*. Ritus quo Ecclesia diebus Dominicis & tempore Paschali orationes persolveri cupit, non de genibus sed stando, juxta Conc. NICAEN. I. Can. 20. etiam a timoratis non scrupulose observatur, dum privatim recitant: certe S. PAULUS cum sociis ipso tempore, quod interlabitur a Pascha ad Pentecosten, in Tyri littore positus genua oravit. Act. XXI. 5. prout animadvertit CHRISTOPH. JUSTELLUS in Codice Canon. Eccl. universæ ad dict. can. 20.



*De Jejniis & Vigiliis. 641*

Horas tempore illo, quod in Choro illis destinatum est, modo intra spatium unius diei naturalis totum Officium absolvatur 26. ). Quamvis autem dies quoad Horas Canonicas computetur a media nocte in mediam noctem : nihilominus quoad Matutinum incipit dies a vespere precedentis diei 27. ) : cum enim solemnitas diei sequentis a Vesperis incipiat ; ideo merito usus obtinuit, ut post publicum Officium Vesperarum, & Completorii, preces nocturnas inchoare privatim liceat 28. ).

TITULUS XXI.

DE JEJUNIIS ET VIGILIIS

*Conf. Decretal. lib. 3. Tit. 46.*

§. 456.

**A**NTEQUAM de Festis diebus Ecclesie *Jejunium* agamus, notanda quaedam  
S s sunt

- 
- 26.) MARCELLUS FRANCOLINUS de temp. hor. Canon. c. 25. n. 1.  
27.) Ibid. n. 3. LAYMAN. Theol. Moral. lib. 4. tract. 1. c. 3. n. 7.  
28.) S. THOMAS Quodlib. 5. art. 28. Plurimas quæstiones circa hanc materiam
- mo-